An. et vol. XXXXVI 29 - 31 Decembris 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 17-18

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 753 - Litterae Apostolicae, p. 758 - Epistulae, p. 760 - Nuntii radiophonici, p. 768.

Acta Ss. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Provisio Ecclesiarum, p. 774 - *S. C. Concilii*: Decretum, p. 775 - *S. C. Rituum*: I, II, III, IV Decreta in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei, p. 776.

Acta Officiorum: *Secretaria Status*: Statuta approbantur Pont. Commissionis pro Cinematographia, Radiophonia ac Televisione, p. 788.

Indices vol. XXXXVI an. XXXXVI (1954): I. Index generalis actorum, p. 785 - II. Index chronologicus documentorum, p. 787 - III. Indices nominum: *a*) personarum, p. 803; *b*) dioecesium, vicariatuum etc., p. 818; *c*) religionum, p. 825 - IV. Index rerum analyticus, p. 827.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1300 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXVI, n. 17 – 29 Decembris 1954)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. MARDENSIS ARMENORUM (Bagdadensis Armenorum). *Ex quo tempore.* – Ex archidioecesi Mardensi Armenorum quaedam regio separatur, quae in novae archidioecesis formam redigitur, « Bagdadensis Armenorum » appellandae. – 29 Iunii 1954 . . . . PAG. 753

II. MARDENSIS ARMENORUM (Kamechliensis Armenorum). *Cum summus Deus.* – Ex archidioecesi Mardensi Armenorum, quadam distracta regione, nova constituitur dioecesis, « Kamechliensis Armenorum » appellanda. – 29 Iunii 1954 755

LITTERAE APOSTOLICAE

Viam vitae. – Beata Maria V., « de Ponte » appellata, Patrona Caelestis aeque principalis cum S. Iuvenale civitatis ac dioecesis Narniensis declaratur. – 12 Septembris 1954. 758

EPISTULAE

I. *Cum pecepimus.* – Ad Revmum P. Mc Cabe Patritium, Missionalium a SS. Corde Iesu supremum Moderatorem, ob vertens saeculum ab eadem Congregatione condita. – 14 Novembris 1954 760

II. *Certiores nuper.* – Ad Excmum P. D. Dellepiane Ioannem, Archiepiscopum tit. Stauropolitanum, Nuntium in Austria-Apostolicum, annum vicesimumquintum a suscepto episcopatu explentem. – 17 Novembris 1954 761

III. *Explenti feliciter tibi.* – Ad Excmum P. D. Giobbe Paulum, Archiepiscopum tit. Ptolemaidensem in Thebaide, Nuntium-Internuntium in Hollandia Apostolicum, dena lustra sacerdotii implentem. – 20 Novembris 1954 762

IV. *In Patriarchalis.* – Ad Excmum P. D. Vannucci Hildebrandum, Ep. tit. Sebastenum in Cilicia, Abbatem Ordinarium S. Pauli in via Ostiensi: saeculo exeunte a consecratione Patriarchalis Basilicae Ostiensis. – 1 Decembris 1954 763

V. *Grate adhuc.* – Ad Revmum P. Vogt Ernestum, S. I., Pontificii Instituti Biblici Rectorem: ob celebrationem in honorem Sancti Pii X, eiusdem Instituti fundatoris. – 14 Decembris 1954 767

NUNTII RADIOPHONICI

PAG.

I. Dirigentibus ac Sodalibus mulieribus ab Actione Catholica Italica, ob novam « Domum Mariae » Romae inauguratam in Festo Immaculatae Conceptionis B. Maria V. – 8 Decembris 1954 768

II. Summus Pontifex, aegrotus, in pervigilio Nativitatis D. N. Iesu Christi a. MCMLIV, haec verba edidit, orbi universo benedicens 772

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Provisio Ecclesiarum 774

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Decretum. Dispensatio a lege abstinentiae Feria sexta, quae ultima dies est anni civilis MCMLIV – 22 Decembris 1954 775

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Lauden seu Cremonen.* – Decretum introductionis causae pro beatificatione S. D. Vincentii Grossi, Parochi, fundatoris Instituti Filiarum Oratorii. – 2 Aprilis 1954 776

II. *Parisien.* – Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Annae Mariae Javouhey, fundatricis Instituti Sororum a Sancto Iosepho de Cluny. – 2 Aprilis 1954 778

III. *Bergomen.* – Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Paulae Elisabeth, in saeculo Constantiae Cerioli vid. Buzecchi-Tassis, fundatricis Instituti Bergomensis a S. Familia. – 2 Aprilis 1954 . . . 779

IV. *Romana seu Bergomen.* – Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Teresiae Eustochii Verzerii, Virginis, fundatricis Instituti Filiarum Sacratissimi Cordis Iesu. – 2 Aprilis 1954 781

ACTA OFFICIORUM

SECRETARIA STATUS

Segreteria di Stato. Statuta approbantur Pont. Commissionis pro Cinematographia, Radiophonia ac Televisione. – 16 Octobris 1954 783

An. et vol. XXXXVI 29 Decembris 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 17

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

MARDENSIS ARMENORUM
(BAGDADENSIS ARMENORUM)

EX ARCHIDIOECESI MARDENSI ARMENORUM QUAEDAM REGIO SEPARATUR, QUAE IN NOVAE ARCHIDIOECESIS FORMAM REDIGITUR, « BAGDADENSIS ARMENORUM » APPELLANDAE.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Ex quo tempore Deus arcano suae bonitatis consilio voluit Nos universi sui gregis curas suscipere, ex eo die id unum Nos in animo versamus, quo modo, scilicet, possimus christianorum necessitatibus subvenire eorumque bono consulere. Quapropter, cum Armenorum Episcoporum coetus, habitis anno millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio in pago Bzommar comitiis, censuerit in Irakena regione novam esse archidioecesim condendam, cumque id ab hac Romana Sede petierit, Nos, rati in animorum bonum esse cessurum, si precibus concedatur, omnibus mature perpensis ac S. Congregationis pro Ecclesia Orientali probata sententia, quae fuit secunda agendae rei, eorum consensum supplentes qui in hoc negotio aliquid iuris se habere arbitrentur, de apostolica Nostra potestate, haec quae sequuntur decernimus et iubemus. Ex latissima archidioecesi Mardensi Armenorum id territorii separamus quod Irakeni regni finibus clauditur, quodque in novae archi-

dioecesis formam redigimus, *Bagdadensis Armenorum* nomine appellandae. Cuius novae Ecclesiae Sedes in urbe Bagdad erit, cathedra vero archiepiscopalis in templo Beatae Mariae Virginis caelo receptae collocabitur, per has Litteras ad cathedralium aedium honorem evecto. Sive ergo Ecclesiae, sive eius sacrorum Antistitibus ea omnia iura, honores, potestates concedimus quae talium sunt propria Sedium et Praesulum; volumus tamen eosdem oneribus quoque et obligationibus teneri quae ceteras Ecclesias et Archiepiscopos astringunt. Quos praeterea, tum Sedem videlicet, tum eius Praesules, venerabili Fratri Patriarchae Ciliciae Armenorum subici volumus tamquam suffraganeos et obnoxios. Mensam episcopalem, quae dicitur, ea bona constituent quae vel ipsi ex divisione bonorum, si qua sint, obtingent; vel christianorum liberalitas offeret; vel Curiae obvenient; vel denique S. Congregatio pro Ecclesia Orientali mittere solet. Seminarium in eadem Ecclesia, statim ac fieri poterit, saltem elementarium construatur, pueris excipiendis iisque ad sacerdotii munera educendis: sunt enim spes Ecclesiae per quos Evangelii lumen hominibus lucebit. Regimen et administratio novae archidioecesis, item electio Vicarii seu Administratoris, Sede vacante, iura et onera cleri et populi aliaque huiusmodi, ea omnia Ecclesiae Armenorum praescriptis regantur. Quod autem ad clericos attinet, simul ac Bagdadensis archidioecesis condita fuerit, eo ipso ei Ecclesiae censeantur ascripti in cuius territorio legitime degunt, salvis proprii Iuris legibus et iussis. Praecipimus praeterea ut quae acta et documenta ad novam archidioecesim respiciant, ea omnia a Curia Mardensi ad Curiam eiusdem Sedis quam primum mittantur, in tabulario religiose asservanda. Quae denique his Litteris Nostris praescripsimus et decrevimus exsequenda curabit venerabilis Frater Armandus Stephanus M. Blanquet du Chayla, Archiepiscopus Babylonensis Latinorum et in regno Iraqeno Apostolicus Delegatus; cui omnes potestates agendi negotii facimus, cuilibet viro subdelegandas, si visum fuerit, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto. Idem venerabilis Frater onus habebit documenta exarandi eademque sinceris exemplis ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quam primum mittendi. Quodsi quo tempore res sit peragenda alius Apostolicae Delegationi in Iraquia praeerit, idem Nostra praescripta perficiet. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis,

quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum et inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

CELSUS Card. COSTANTINI
S. R. E. Cancellarius

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Congr. pro Ecclesia Orientali a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Canc. Apost tab., vol. LXXXIX, n. 57.

II

MARDENSIS ARMENORUM (KAMECHLIENSIS ARMENORUM)

EX ARCHIDIOECESI MARDENSI ARMENORUM, QUADAM DISTRACTA REGIONE, NOVA CONSTITUITUR DIOECESIS, « KAMECHLIENSIS ARMENORUM » APPELLANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum summus Deus misericordi consilio voluerit Nos ad Romani Pontificatus Solium attolli atque Ecclesiae sanctae tractare gubernacula, omni idcirco contendimus ope ut catholica res magis magisque vireat floreatque, multiplicatis ad id continenter novis dioecesibus quae parentes quodammodo sint altricesque christianorum. Ingenti igitur animi Nostri gaudio accepimus Armenorum coetum Episcoporum, in conven-

tibus superiore anno in pago « Bzommar » appellato habitis, ob huius temporis rerum adiuncta unanimo ore ab hac Apostolica expostulavisse Sede, ut, distracta archiepiscopalis Sedis Mardensis Armenorum parte, nova quaedam constitueretur Ecclesia: fidelium enim necessitatibus esse aptius consulendum, atque eos, qui in Romanae Ecclesiae sinu nondum conquiescerent, impensiore esse cura quaerendos. Quam ob rem, audito Sacrae Congregationis pro Orientali Ecclesia consilio, atque suppleto eorum omnium consensu, qui in hac re aliquid iuris habeant vel se putent habere, certa scientia eorum quae acturi sumus, de suprema Nostra potestate haec quae sequuntur decernimus atque statuimus. Ab archiepiscopali Sede Mardensi Armenorum totam separamus regionem Superioris Insulae, in Syria, quae dicitur, ipsamque in novae formam dioecesis redigimus, *Kamechliensis Armenorum* nuncupandae, cuius territorium iisdem circumscribetur finibus atque regio, cuius supra meminimus. Quae nova dioecesis patriarchali Sedi Ciliciae Armenorum erit suffraganea, cuius igitur Patriarchis Praesules Kamechlienses Armenorum posthac recto subicientur iure. Iidem autem Episcopi sedem ac domicilium in urbe Kamechliensi habebunt, quam Nostris hisce Litteris ad civitatis episcopalis gradum perducimus; ibique cathedram in aedibus collocabunt Sancto Ioseph sacris, quas cathedralis templi condecoramus dignitate, datis scilicet omnibus iuribus ac privilegiis ceterarum cathedralium aedium propriis. Item ipsa Kamechliensis dioecesis eiusque pro tempore Episcopi sive iuribus honoribusque fruentur sive oneribus et officiis obstringentur, quibus omnes per terrarum orbem dioeceses earumque Praesules et ornantur et onerantur. Volumus autem ut pueris ad sacerdotium divino instinctu vocatis diligentissime excolendis, ubi primum rerum adiuncta id sinant, seminarium saltem elementarium constituatur. Quod vero ad clerum novae Sedi assignandum attinet, decernimus ut simul ac dioecesis erectio ad effectum deducta fuerit, clerici illi ascripti censeantur Ecclesiae in cuius finibus legitime degunt. Omnia praeterea documenta et acta, quae ad nuper constitutae Ecclesiae res spectant, a Curia archidioecesis Mardensis Armenorum quam cito mittantur ad Kamechliensis Armenorum Ecclesiae Curiam, ut in eiusdem tabulario quam accurate serventur. Episcopalis mensa constabit sive Curiae emolumentis, si qua sint, sive a S. Consilio pro Orientali Ecclesia tradita vel a fidelibus ultro data pecunia; sive bonis quae e congrua partitione bonorum mensae Mardensis Armenorum, pro rata parte, novae huic obvenient dioecesi. Quod pariter attinet ad novae Ecclesiae regimen et administrationem, ad Vicarii Patriarchalis seu Administratoris, Sede vacante, electionem, ad fidelium et sacerdotum

iura et onera aliaque huiusmodi, ea praecipimus quae Orientalis Ecclesiae legitimis normis statuuntur. Quae omnia hisce Litteris Nostris decrevimus, ea exsequenda curabit venerabilis Frater Paulus Pappalardo, Archiepiscopus titulo Apamenus in Syria, et Apostolicus in Syria Internuntius, vel ille qui eo tempore, quo haec decreta ad rem adducentur, eidem praeerit Internuntiaturae; ei autem, qui rem absolvet, omnes necessarias ad id facimus potestates, alii etiam viro subdelegandas, dummodo in ecclesiastica dignitate constituto, onusque iniungimus hoc confectum negotium in tabulas referendi, quarum fide digna exempla ad S. Congregationem pro Orientali Ecclesia quam primum mittenda curabit. Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum et inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die undetricesimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

CELSUS Card. COSTANTINI
S. R. E. Cancellarius

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
S. Congr. pro Ecclesia Orientali a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Canc. Apost. tab., vol LXXXIX, n. 59.

LITTERAE APOSTOLICAE

BEATA MARIA V., « DE PONTE » APPELLATA, PATRONA CAELESTIS AEQUE PRINCIPALIS CUM S. IUVENALE CIVITATIS AC DIOECESIS NARNIENSIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Viam vitae insistentes Christifideles tot inter pericula et acerbitates, recto haud labuntur itinere et ad locum petitum, sempiternam dicimus beatitatem, feliciter perveniunt, si Beatam Mariam Virginem sequuntur, quam Deus mortalibus constituit fidam ducem certumque praesidium salutis. Hoc senserunt olim sentiuntque in praesenti cives Narnienses, qui Almam Deiparam, de Ponte appellatam, scilicet cuius praeclara Imago in Aede ad viam Flaminiam, iuxta veterem pontem Augusti, asservatur, praecipuis ornant excoluntque obsequiis. Quo in loco antiquis temporibus inaccessus fuit ac tenebricosus specus, vepribus densus caenoque foedatus. Ibidem adulescens Narniensis, qui venatum eo ierat, anno millesimo septingentesimo decimo quarto, Deiparae Divinum Filium ulnis gestantis Imaginem conspexit, magno perfusus stupore atque religione tactus. Tantae rei nuntio commotae mater adulescentis aliaeque mulieres ad antrum advolarunt, idque, sentibus purgatum, Marianae pietatis effecerunt domicilium. Exinde cultus Almae Virginis de Ponte maximis est auctus incrementis adeo ut non solum Narniensium urbem et agrum sed etiam dissitas terras pervaderet. Neque amantissima Mater, a supplici plebe invocata, eius defuit temporibus, quin numquam desiit supernis eam muneribus cumulare. Unde factum est ut eius honori augustum excitaretur Templum, quod Lauretanam Beatae Mariae Virginis Aedem imitatione exprimebat. Hanc insignem religionis sedem, populi liberalitate exaedificatam, Nicolaus Terzagus, Narniensis Episcopus, anno millesimo septingentesimo vigesimo octavo, sollemni ritu consecravit, et Clemens PP. XII, Decessor Noster, pro sua in Narniense Canonicorum Collegium propensa voluntate, Litteris Apostolicis sub plumbo expeditis, ei credidit atque commisit. Gliscente autem in dies pia eiusdem urbis Christifidelium alacritate, ex omnium sententia ac postulatione Simulacrum Almae Deiparae de Ponte, quod signum peculiaris praesidii haberetur, a Carolo Maria Cardinali Sacripante, anno millesimo septingentesimo quinquagesimo quarto, auctoritate Petriani Canonicorum

Collegii, est aureo diademate inter acclamantis populi vota redimitum. Cuius augustae caerimoniae memoria ut per hominum aetates in Narniensium civium mentibus haereret, liturgicum sollemne, probante Pio PP. IX, item Decessore Nostro, fuit institutum, die quinta mensis Maii singulis annis celebrandum. Quam autem sibi accepta esset haec eius urbis et regionis incolarum erga se pietas, benignissima Dei Mater bello recens per orbem terrarum saeviente, luculenter est testata. Etenim igneis circum dirumpentibus missilibus, quae aërii nautae deieecerant, est Narnia servata fere incolumis nec sacer idem specus, scilicet apud pontem positus, quem potissimum diffringere studuerunt, aliquid accepit detrimenti, dum immania disploduntur tormenta. Aedes quidem ipsa, cuius in officiis Salvatoriani sodales quinquaginta amplius annos impigri versantur, quamque pio labore atque aere collato ornandam augendamque curaverunt, post belli calamitatem ad pristinum splendorem est revocata. Quo autem Narniensium animi ad Dei Genetricis cultum magis confirmarentur atque Caelestis Matris patrocinio adigerentur ad sanctius obeunda vitae christianae instituta, Venerabilis Frater Ioannes Baptista Dal Prà, Interamnensium et Narniensium Episcopus, Nos rogavit ut Beatam Mariam Virginem, de Ponte nuncupatam, urbis Narniae Patronam aeque principalem cum Sancto Iuvenale, Episcopo Confessore, quem Narnienses ut Martyrem rite venerantur, praecipuam apud Deum caelestem Patronam totius dioecesis Narniensis renuntiaremus. Quibus precibus, Dilecti Filii Nostri Nicolai Sanctae Romanae Ecclesiae Protodiaconi Cardinalis Canali, Paenitentiarii Maioris, amplissima commendatione suffultis, Nos, quibus nihil est antiquius quam ut filiorum Nostrorum animos Almae Deiparae studio, hoc praesertim Mariano vertente anno, inflammemus, Narniensem civitatem ac dioecesim pastorali amore complexi, libenti animo statuimus obsecundare. Quare, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatissimam Virginem Mariam de Ponte Narniensis civitatis et dioeceseos Patronam principalem una cum Sancto Iuvenale, primo eiusdem urbis Episcopo, caelestem apud Deum *Patronam* constituimus et declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae praecipuis locorum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, valídas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudi-

candum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulfi, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Septembris, in festo Sanctissimi Nominis Beatae Mariae Virginis, anno MCMLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

EPISTULAE

I

AD REVM IUM P. MC CABE PATRITIUM, MISSIONALIUM A SS. CORDE IESU SUPREMUM MODERATOREM, OB VERTENS SAECULUM AB EADEM CONGREGATIONE CONDITA.

Cum percepimus te sodalesque tuos in eo esse, ut fauste primum explendum saeculum, ex quo religiosum Institutum Missionalium a SS. Corde Iesu conditum fuit, celebraretis, in accessionem laetitiae sanctae gratulationes, laudes, omina Nostra vobis proferenda curavimus. Eadem de causa cum Romae vos festum coetum agetis, Nobis gratum esset vosmet coram admittere, nisi negotiosior apostolici muneris cura impedimentum afferret tum ad vestra persequenda optata, tum, ad Nobis comparandum solacium, eo profecto dulcius, quo cariores et acceptiores Nostro ipsi paterno animo estis. Ex iis autem quae ore vobis promeremus, saltem quidpiam calamo et atramento usi per hasce litteras tibi et fraternae tecum conventurae coronae exprimere volumus, ne desit vobis ad maiora et meliora assequenda incitamentum ac novum exoptatum benevolentiae Nostrae pignus. Ex liturgico festo Deiparae Virginis caeli terrarumque Reginae, quod recens decrevimus, itemque ex augusto religionis ritu, quo in urbana aede sacra Deiparae Dominae a SS. Corde Iesu eiusdem iconi aureum imposituri estis sertum, vobis auspicium suminus, hortationem admovemus, ut ductui obsequentes tantae Dominae ac Patronae praesentissimae ipsi ad Christi Cor magis magisque amandum et honorandum incumbatis. Ad Iesum Christum multis cum aternae vitae fruc-

tibus tum acceditur, cum religiose et pie colitur ipsius primae labis expers Mater et cum eius virgineum Cor, omnium virtutum sacrarium, frequenti aditur obsequio. Huius igitur flammantiore in exemplum studio maternum amplificate imperium et in id sedulam conferte operam, ut in aula mentis et in morum vestrorum exemplis splendida eius fulgescat imago: haec singularis vestra laus esto, hoc cumulatae perfectionis attingendum fastigium. Dum haec vota benignissimo Servatori nostro per deprecationem Deiparae Virginis in rem deducenda committimus, tibi dilecte fili, atque universis qui Instituto Missionalium a SS. Corde Iesu adlecti sunt itemque cunctis inceptis, in quibus vires consumitis, Apostolicam Benedictionem, superni auxilii auspicem, impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XIV mensis Novembris a. MCMLIV.

PIUS PP. XII

II

AD EXCMUM P. D. DELLEPIANE IOANNEM, ARCHIEPISCOPUM TIT. STAUROPOLITANUM, NUNTIUM IN AUSTRIA APOSTOLICUM, ANNUM VICESIMUMQUINTUM A SUSCEPTO EPISCOPATU EXPLENTEM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Certiores nuper facti sumus, temet in eo iam esse, ut quintum supra vicesimum a suscepto episcopatu annum feliciter expleas. Libenter itaque eiusmodi opportunitatem amplectimur, ut iucundi eventus celebrationem Nostris votis secundisque ominibus prosequamur. Minime profecto Nos fugit, te diuturno aetatis spatio sollertem operam Apostolicae huic Sedi praestitisse. Iam in ipso iuventutis flore, bello inter Turcas et Graecos saeviter aestuante, a Secretis Archiepiscopo Smyrnensi fuisti inter bellica tela et eiusdem urbis incendia, quae etiam episcopales aedes et omnia fere catholica instituta deleverunt. Deinde Vicarium Generalem, tum Administratorem Apostolicum in eadem civitate Smyrnensi agens, totus in damna reficienda et opera catholicae vitae restauranda incubuisti. Evectus autem ad honorem archiepiscopalem, Delegatus Apostolicus in Congo Belgico et Ruanda-Urundi renuntiatus es; qua quidem in amplissima regione ad opera Missionalia fovenda et Ecclesiae institutiones explicandas, in primisque clericorum

Seminaria et iuventutis scholas, curas tuas et cogitationes per undeviginti annos convertisti, cum haud parvo catholicorum indigenarum incremento. Perdurante vero postremo bello, per terrarum orbem desaeviente, peculiarem sollicitudinem habuisti, ut Apostolicae Sedis communicationes cum pluribus Africae regionibus expedite servarentur. Quinque autem abhinc annos, Internuntius ac deinde Nuntius Apostolicus in Austria nominatus es, ubi ad sananda belli vulnera, ad tot solvendas quaestiones, inter haud leves occupantium exercituum exterorum difficultates, adiutricem operam Nobismet Ipsis contulisti. Haec inter cetera tua erga Ecclesiam merita recolentes, tibi, Venerabilis Frater, de episcopali ministerio diu actuoseque gesto ex animo gratulamur, simulque Deum exoramus, ut et supernis donis solaciisque recreare benigne velit. Quo autem sollemnia proxima utiliora christiano populo evadant, tibi ultro potestatem tribuimus, ut, die constituta, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Caelestis interea auxilii conciliatrix et nuntia, peculiarisque Nostrae dilectionis testis sit Apostolica Benedictio, quam tibi, Venerabilis Frater, universaeque perdilectae Austriae amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVII mensis Novembris, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

III

AD EXCMUM P. D. GIOBBE PAULUM, ARCHIEPISCOPUM TIT. PTOLEMAIDENSEM IN THEBAIDE, NUNTIUM-INTERNUNTIUM IN HOLLANDIA APOSTOLICUM, DENA LUSTRA SACERDOTII IMPLENTEM.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Explenti feliciter tibi, quattuor abhinc annos, quinque ab inito episcopatu lustra Nostrae quidem gratulationis sensus per Litteras libenter significavimus, tua egregia erga Ecclesiam Sedemque Apostolicam merita memorantes, quae tibi hoc diuturno temporis spatio comparasti, sive heic Romae curam operamque tuam Sacro de Propaganda Fide Consilio sedulo tribuendo Rectoremque in Collegio Urbano peragendo, sive extra

Urbem Apostolici Nuntii partes sustinendo, primo in Columbiana Republica, deinde in praeclaro isto Batavorum Regno. Nunc autem, imminente quinquagesimo sacerdotii tui natali die, nova oblata opportunitate iucundi eventus celebrationem faustis plane votis fervidisque ominibus prosequi exoptamus. Tibi igitur, Venerabilis Frater, de sacro atque episcopali munere tam diu sollerterque gesto ex animo gratulamur, instanterque Deum exoramus, ut supernis donis salaciisque te exornare affatim velit. Quo autem sacerdotii tui commemoratio salutarior christiano populo exsistat, tibi ultro facultatem largimur, ut, qua malueris die, post Sacrum pontificali ritu peractum, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Caelestis interea auxilii conciliatrix et nuntia, peculiarisque Nostrae caritatis testis sit Apostolica Benedicto, quam tibi, Venerabilis Frater, totiusque Hollandiae clero ac populo fideli peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Novembris, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

IV

AD EXCMUM P. D. VANNUCCI HILDEBRANDUM, EP. TIT. SEBASTENUM IN CILICIA, ABBATEM ORDINARIUM S. PAULI IN VIA OSTIENSI: SAECULO EXEUNTE A CONSECRATIONE PATRIARCHALIS BASILICAE OSTIENSIS.

PIUS PP. XII

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem. — In Patriarchalis Ostiensis Basilicae fastis, quae prope Tiberis aquas miro artis fulgore christianaeque antiquitatis memoriis tam praeclare Apostoli Doctoris gentium praedicat laudes, memorandus in aevum dies exstabit ille, quo Decessor Noster imm. nem. Pius IX, biduo post Immaculatae Conceptionis dogma promulgatum, mirabile hoc templum sollemni ritu suis ipse manibus consecravit. Auspicatissimi huius eventi, ut ex litteris ad Nos datis comperimus, vobis in animo est proxime publicis celebrationibus saecularem recolere memoriam. Cui quidem consilio vestro, utpote quod apprime conferat ad popularem erga Paulum Apostolum pietatem refovendam, propenso animo annuimus, eo

vel magis quod cum intimo etiam animi Nostri sensu id suavissime concinit. Revera in hac Urbe, christiani nominis capite, ortum Nos habuisse laetamur, cuius sanctitudinis fulgore a prima aetate capti, iam tum ante Apostolorum sepulcra pietatem Nostram alere assuevimus. At quae a vobis parantur sollemnia eiusmodi sunt, ut catholico cuique viro eveniant periucunda. Quis enim ignorat quo animo, qua religione, quo studio sanctissimam hanc aedem, ubi Pauli Apostoli sepulcrum asservatur, universa, qua late patet, prosequatur Ecclesia? Porro si verum est exuvias sanctorum caelitum perennes in Ecclesia exstare fontes, ex quibus tamquam rivuli salutares effundantur in christianum populum dona caelestia, peculiarissimo modo hoc de Pauli sepulcro dicendum est, ad quem pertinet ipsius Divini Redemptoris praeconium: « Vas electionis mihi est, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus »,[1] et quem, teste Decessore Nostro Leone Magno, una cum beatissimo Petro « gratia Dei in tantum apicem inter omnia Ecclesiae membra provexit, ut eos in corpore, cui caput est Christus, quasi geminum constituerit lumen oculorum ».[2] Qua de causa gloriosissimum hoc sepulcrum semper sacrum veluti Urbis palladium habitum est, metaque exstitit desideratissima, in quam ubique gentium exardescebant christianorum pectora. Id ipsum venerandi causa, magnus ille Crysostomus optare se dixit videre Romam, atque in haec incensissima prorupit vota: « Quis mihi dederit, ut corpus Pauli circumplectar, ut sepulchro haeream, ut pulverem videam corporis illius quae Christo deerant adimplentis, stigmata illius gestantis, praedicationem ubique disseminantis? pulverem, inquam, illius corporis, per quod ubique discurrebat, pulverem corporis per quod Christus loquebatur, et lux splendebat omni fulgore clarior, et vox exiliebat quovis tonitru daemonibus terribilior ».[3] Nihil mirum, igitur, si postquam in hoc sanctissimo loco, Constantino Magno auctore, prima sacra aedes, honori Pauli dicata, exstructa est, christianae aetates, omnibus industriae et artis subsidiis advocatis, ad illam augendam exornandamque certatim studium et operam contulerint; si Romani Pontifices illam summis extulerint laudibus, donisque ac privilegiis ditaverint, munificentia largissima, religione pari; si denique populi pio peregrinantium more ex remotissimis etiam regionibus ad illam supplicantes adierint, vel ut debitas caelesti Patrono grates agerent, vel ut mala, pericula, discrimina, quae ingruerent, valida apud Deum interposita eius prece, prohiberent. Quae

[1] *Act. Ap.*, 9, 15.
[2] S. Leo Magnus, *Sermo 82;* Migne, P. L. 54, 422.
[3] *In ep. ad Rom., Hom. 32;* Migne P. G., 60, 678-79.

tamen voluntatis significatio erga hoc templum vobis per saecularem commemorationem recolenda est, adeo praestare videtur, ut alia fuerit numquam, quae vel pateret latius vel communiore concordia exhiberetur. Laetabundi quippe tunc omnes consalutarunt veluti ab interitu vindicatam venerandam Paulianam Basilicam, quam, ut omnes norunt, paucis nocturnis horis inter dies XV et XVI mensis Iulii, anno MDCCCXXIII, subito obortum incendium paene totam absumpserat. Qua quidem teterrima calamitate non Urbs tantummodo, cuius idem templum erat decus et gloria, sed orbis catholicus universus affici visus est, qui propterea pati nullo modo potuit, Romam tam praestantissimo diu spoliatam ornamento, atque circa Pauli hypogeum, cui flammarum vis tantummodo pepercerat, sparsos exstare cineres, immanis illius conflagrationis reliquias. Quamobrem, ubi primum Decessor Noster Leo XII per Encyclicas Litteras « Ad plurimas » die XXV Ianuarii mensis datam, anno MDCCCXXV, christianorum liberalitatem appellavit, ad insigne illud templum in pristinam formam et amplitudinem restituendum, ubique tanta alacritate et concordia obtemperatum est, quae Romani Pontificis spem et vota omnino superaverint. Hinc factum est ut, ubi paucos ante annos nonnisi parietinae et rudera squalebant, novum ex ruinis illis, ovante mundo universo, surrexerit hoc insigne pietatis et artis monumentum, marmoribus et musivo opere coruscans, eaque magnificentia et splendore extructum, quale Doctoris gentium cineres postulabant et nomen. Haec omnia per saecularem eventus celebrationem opportune in sua luce a vobis ponentur. At si eorum recordatio grata procul dubio omnibus erit, novimus tamen peculiarem quandam et propriam communis huius faustitatis partem ad vos, Benedicti Patris alumni, iure merito pertinere. Ad vos, dicimus, quorum laudi tribuendum est, si veneranda huius loci maiestas per tot saecula non magis exquisitae artis splendore quam pulcherrimis sanctitatis doctrinaeque exemplis, quae inibi floruere innumera, refulsit. Quae quidem exempla — quorum permulta sane aureis litteris scripta in Ecclesiae annalibus continentur — si alias umquam, hac praesertim data occasionne, vobis praeluceant omnino oportet, ut inde quasi superna vi roborati et aliti, magis magisque bonum Christi odorem, a virtutibus Pauli uberrime haustum, diffundere valeatis, quo augustiorem in dies efficiatis huius loci sanctimoniam. De sodalitate vestra nempe, utpote cui tantae rei cura esset concredita, haud immerito Decessor Noster Martinus V die XXIII mensis Iulii, anno MCCCCXXV, praeclara haec scribebat verba: «cunctarum Ecclesiarum et Monasteriorum Orbis decet esse speculum... ut cunctae totius Orbis

Ecclesiae in ipsius radiis speculentur ».[4] Quod tamen est praecipuum — eoque sane spectant celebrationes vobis peragendae — hoc est, ut magis magisque fulgescat, hac opportunitate data, splendida Pauli imago, eamque sibi quisque, vos autem imprimis, ad imitandum proponatis. Ipsius caritatis ordor, invicta animi fortitudo, indefessum usque ad mortem apostolatus studium, ac denique eius gloriosum martyrium, quibus Apostolus tantopere in vita praestitit atque intra sacros huius templi parietes adhuc spirat et loquitur, mentes animosque penitus informent eorum omnium, quos peragenda sollemnia ad hanc sacram aedem supplicaturos advocaverint; eos salutariter moneat praeclarus Apostolus, quanti sit et quam beatum, evanida terrenarum rerum inanitate posthabita, vestigiis inhaerere Christi animoseque eius amplecti mandata. Haec sunt incensissima vota Nostra, ac salutares fructus quos supplicibus precibus a Deo cupimus. Quae quidem prae oculis habentes, pergite, dilecti filii, studiosam navare operam, ut gentium Apostolo debitus in ipsius templo tribuatur honor. Religione vestra, amplissima huius aedificii moles, mirabili cultu artificioque conspicua, ne tantummodo sit marmoreum monumentum, quod suspicientibus oculis inoperosam admirationem gignat; sed quotquot illud adierint, arcana loci reverentia capti, inde divite haustu suam augeant Romanam fidem, quam laudavit gentium Apostous,[5] impensiusque sese adamare sentiant hanc « ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est »,[6] quam idem Paulus una cum Apostolorum principe idcirco suo profuso sanguine sacravit, ut « gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia, per sacram beati Petri sedem caput orbis » efficeretur.[7] Hac suavissima spe freti, dum Nostram benevolentiam erga augustissimum hoc templum vestramque religiosam familiam prorsus confirmamus, tibi, Venerabilis Frater, ac singulis universis istius praeclari coenobii sodalibus, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 1 mensis Decembris, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

[4] *Bull. Cassin.*, II, pag. 295.
[5] Cfr. *Rom.* 1, 8.
[6] S. CYPRIANUS, *Ep. 59;* MIGNE P. L. 3, 818.
[7] S. LEO MAGNUS, *Sermo 82;* MIGNE, P. L., 54, 423.

V

AD REVM̃UM P. VOGT ERNESTUM, S. I., PONTIFICII INSTITUTI BIBLICI RECTOREM : OB CELEBRATIONEM IN HONOREM SANCTI PII X, EIUSDEM INSTITUTI FUNDATORIS.

PIUS PP. XII

Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Grate adhuc dum permovent Nostri animi sensus sanctorum caelitum honores Decessori Nostro Pio X haud ita multo ante tributi, veluti in accessionem illius laetitiae sanctae Nobis obvenit nuntius, vos auspicatissimum hoc eventum propediem digne celebraturos esse. Id perplacet Nobis, ac prorsus addecet Institutum istud, ad quod quidem condendum, iam inde a suscepto Ecclesiae gubernaculo gloriosissimus ille Decessor Noster, ut late tunc serpentes errores evelleret, curas cogitationesque suas convertit. Menti autem obversante Nostrae lectissima augescenteque in dies fructuum copia inde profecta in Ecclesiae bonum utilitatemque, libet Nobis, nunc, dilecti filii, impensam Instituti Biblici operam gratulari, quod Decessori Nostro provido consilio et exspectationi optime respondit. Praeterquam enim quod viris ingenio eruditioneque praestantissimis perpetuo floruit, atque exinde prodierunt et in dies prodeunt Scripturae Sacrae cultores, qui impenso erga divinas Litteras amore, a vobis hausto, adolescentis cleri mentes salutariter imbuunt; haec sane praecipua vestra laus est, quod in docendo, pervestigando, Sacrisque Scripturis exponendis, semper, qua par est reverentia, ad Ecclesiae Magisterium respicitis, cuius profecto est, ex divina institutione, Libros Sacros custodire, interpretari, tueri. Ac neminem fugit, quantopere hinc non res biblica tantummodo, sed doctrina sacra tota profecerit. Siquidem id necessario habet divinae Scripturae usus, ut « in universam theologiae influat disciplinam eiusque prope sit anima » (Enc. « Providentissimus Deus »; A.S.S. XXVI, 1893, p. 283). Ex praeclaris igitur Sancti Pii X monitis, vobis hac occasione opportune illustrandis, ex Nostraque gratulatione animum sumentes, bene coeptum cursum, dilecti filii, naviter tenete; ac pergat Institutum istud alumnorum frequentia doctrinaeque ornamentis in dies florere. Id postulat temporum necessitas, cum non desint hodie inter catholicos, qui in hisce pertractandis disciplinis haud satis devitent « profanas vocum novitates et oppositiones falsi nominis scientiae » (I Tim. 6, 20). Ac postulat etiam Evangelii praeconum ministerium bene fructuoseque exercendum, quo ipsi valeant « exhortari in

doctrina sana et eos qui contradicunt arguere » (I Tim. 4, 6). Quae quidem omnia eo efficacius effeceritis, quo magis exemplis auctoritateque vestra discant sacrorum alumni vobis concrediti, quem animum gerere oporteat, cum se ad lectionem studiumque sacrorum Bibliorum conferant, aurea nempe haec monita reminiscentes: « Veritas in Scripturis sanctis quaerenda, non eloquentia. Omnis Scriptura sacra eo spiritu debet legi, quo facta est. Quaerere potius debemus utilitatem in Scripturis, quam subtilitatem sermonis » (De imitatione Christi, 1, 5).

Haec sunt vota Nostra, quae quidem Sancto Pio X in rem divina ope deducenda committimus; a quo etiam enixe rogamus, ut Institutum istud, quod eidem tentopere cordi erat, praesentissimo patrocinio suo tueri pergat. Vota autem Nostra ac preces communire libet Apostolica Benedictione, quam omnibus vobis libenter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XIV mensis Decembris, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

NUNTII RADIOPHONICI

I

DIRIGENTIBUS AC SODALIBUS MULIERIBUS AB ACTIONE CATHOLICA ITALICA, OB NOVAM « DOMUM MARIAE » ROMAE INAUGURATAM IN FESTO IMMACULATAE CONCEPTIONIS B. MARIAE V. *

Vi giunga, dilette figlie, il Nostro paterno saluto in questo giorno di festa, che vede coronati dal migliore successo i vostri indefessi sforzi e la vostra tenace concordia. La Domus Mariae con la chiesa, il parco, le aule e i campi da giuoco, deve la sua nascita e il suo incremento in gran parte anche alla commovente gara delle vostre sezioni, che hanno mandato somme di danaro raccolte lira sopra lira dalle grandi e dalle piccole, frammenti di oro e di argento, oggetti cari e persino fiocchi di lana offerti alla Casa della Madonna. E mentre tramonta quest'Anno Mariano di benedizioni e di grazie, mentre da tutta la terra, s'innalzano canti di gloria e di gioia alla Regina dell'universo, Ci par quasi di vedere Maria che posa il suo sguardo particolarmente affettuoso su di voi, che tanto avete voluto fare in suo onore.

* Datus die 8 Decembris mensis a. 1954.

Dio sa come avremmo desiderato di essere oggi in mezzo a voi per renderCi conto in persona dell'efficienza di questo strumento preziosissimo di lavoro, così rispondente all'espansione e alle accresciute esigenze dei movimenti giovanili. Purtroppo, neanche il Papa può seguire tutti gli impulsi del suo cuore, e allora abbiamo voluto che non vi mancasse almeno l'auspicio e l'incitamento di una Nostra parola.

In primo luogo, vogliamo dire a tutte che il Papa è contento di voi. Pensiamo in questo momento con tenerezza alle più piccole, alle predilette di Gesù, bocciuoli non ancora dischiusi, per i quali trepida con ansia materna la Chiesa; pensiamo alle aspiranti, alle giovanissime, fiori aperti alla luce ed al sole; alle « effettive », forti di luminosa giovinezza. Quando volgiamo la mente alla Gioventù Femminile di Azione Cattolica, Ci sembra di scorgere come un'immensa distesa di prati in fiore. E allora nasce spontaneo un sentimento di gratitudine al Signore che adorna la sua Chiesa con tanta magnificenza, e le dà l'incanto di un ineffabile profumo; ma siamo grati anche a voi, dilette figlie, per chè non ignoriamo di quanta generosità e di quanta costanza dovete munirvi, e quale silenzioso martirio avete spesso a soffrire, per conservar la vostra freschezza, il vostro candore in mezzo a tante lusinghe, a tante insidie, a tanti gravi pericoli.

Perchè nel mondo non tutto è giardino, non tutto è fragranza di fiori. Che anzi, a considerarlo attentamente, si vede in vasti campi come un infuriar di tempeste, e si rimane quasi atterriti davanti alle devastazioni causate dallo straripare di veri fiumi di fango. Ben lo sapete voi stesse, dilette figlie, costrette come siete non di rado a camminar per le strade, a lavorare in fabbriche, a frequentare scuole, ad accostarvi ad edicole di giornali, a cercare svaghi, col timore di essere assalite da qualche dèmone scatenato, che non risparmia colpi, nè rifugge dai più torbidi mezzi di offesa.

Ecco dunque per voi una mirabile missione rasserenatrice e purificatrice. Siate come una schiera di angeli: anime librate a volo, capaci di dare al mondo lo spettacolo di una gioventù franca, ma intemerata; per dimostrare che il problema della purezza non è impossibile e nemmeno difficile a risolversi e a superarsi, quando venga impostato e condotto alla luce dei principi cristiani. Tale spettacolo diverrà più bello, la testimonianza sarà più efficace, se sopra quel fondamento incrollabile voi costruirete l'edificio della vostra vita spirituale, mirando verso le vette più alte della perfezione cristiana. Questo otterrete, se, docili ai minimi cenni di Dio, vi affiderete completamente a Gesù, dandogli il dominio assoluto delle vostre menti, dei vostri cuori, dei vostri sensi. Nè dovrete

perciò rinunciare alla vita, o alla sana gioia di vivere. Forse che nella vostra Domus, accanto a una splendida chiesa, non vi è pure una sala di proiezioni cinematografiche, non vi sono aule, non vi saranno presto campi sportivi e un moderno teatro all'aperto? Con questo candore, con questo fremito di vita divina ed umana, voi passerete tra gli uomini, portatrici di un sorriso e di una letizia che il mondo non conosce più e che illumina, invece, l'anima di ciascuna di voi.

Ma con che cuore vorremmo dirvi un'altra parola, dilette figlie! eco di quella che, in questo stesso giorno, Noi rivolgemmo un anno fa a tutta l'Azione Cattolica. Voi sapete la Nostra sollecitudine per il mondo, nel quale la divina Provvidenza Ci ha posto come capo visibile della Chiesa. Conoscete anche la Nostra persuasione circa i momenti nei quali viviamo e che riputiamo fra i più cruciali della storia. Abbiamo tante volte avvertito che il decadimento delle odierne strutture sociale rende oggi particolarmente urgente, ed anche da molte anime ansiosamente desiderata, l'ampia ed assidua predicazione del Vangelo di Gesù Cristo. Per questo, consci di tale necessità e possibilità, Ci siamo assunti l'ufficio di chiamare tutta la Chiesa ad un'opera grande, lanciando quel « grido di risveglio », cui fanno eco ormai Pastori e fedeli in tante parti d'Italia e del mondo. È Nostra ferma fiducia che, in un tempo forse minore di quanto sarebbe umanamente prevedibile, il male potrà essere arrestato nella sua marcia, e il bene potrà avere le sue pacifiche e costruttive vittorie. Nulla si farebbe senza un aiuto specialissimo di Dio, e questo certamente non mancherà. Ma occorrono anche anime generose, giacchè Dio nelle sue opere vuole la cooperazione degli uomini. Ecco perchè Ci rivolgiamo nuovamente a tutte le giovani cattoliche italiane e diciamo loro: schieratevi ordinatamente, disponetevi cioè secondo le necessità e le capacità di ciascuna. E poi agite. Agite arditamente, concordemente, docilmente.

a) *Agite arditamente.*

Se anche foste poche, se foste il piccolo gregge che si stringeva attorno a Gesù, voi — sulla sua parola — non dovrete temere: « Nolite timere pusillus grex »[1]: « Non temere, piccolo gregge ». Ma voi non siete poche. Valutate le vostre forze, e poi levatevi in piedi e fate sentire la vostra presenza in Italia, esigendo che si ascolti la vostra voce. Provate a chiedere, per esempio, in nome del rispetto che si deve al costume pubblico, che sia consentito a giovani cristiane di osservare la legge

[1] Luc. 12, 32.

divina, senza esser costrette all'eroismo di ogni giorno, di ogni istante. Perchè il mondo deve essere del nemico di Dio, dei nemici di Dio? Il Nostro « grido di risveglio » fu anche grido di riscossa. Passa — e voi la sentirete sempre più forte — una voce di riscossa per la terra: è la voce di tutti i buoni. Raccoglietela, fatela vostra: ripetetela con forza: « Noi vogliamo che Gesù regni nel mondo: vogliamo che nel suo Nome s'inginocchi ogni creatura celeste e terrestre; vogliamo che si pieghi e s'inginocchi anche l'inferno ». Di che temete, dilette figlie? Un milione di giovanette cristiane hanno necessariamente un impeto cui non è facile resistere. Anche una gracile fanciulla può divenire una Giovanna d'Arco, se Dio le dà la forza del suo braccio.

b) *Agite concordemente.*

Qualunque ardimento è inutile e può essere anche dannoso, se il tarlo della interna discordia venisse a portare lo scompiglio tra voi. Di fronte a un nemico che serra ogni dì più le sue file, davanti all'impresa che vi attende, sarebbe reo di tradimento chi — Dio non voglia — seminasse la zizzania della disunione fra voi, fra le forze cattoliche. Dove è divisione, là è desolazione, è sconfitta. Oggi tre milioni di iscritti rinnovano la tessera dell'Azione Cattolica. Che sarebbe, se l'unione fra tutti i membri di questo formidabile organismo fosse intatta e intangibile? Se divenisse legge suprema e inderogabile a qualunque costo? Chi potrebbe, in tal caso, premere efficacemente contro questa, « falange di Cristo Redentore? » Chi potrebbe ritardarne il cammino? Chi potrebbe rompere questa barriera difensiva della Chiesa? Chi potrebbe comprimerne l'impeto benefico?

c) *Agite docilmente.*

Per verità è sempre bastato un Nostro cenno, una Nostra voce, per far vibrare ed ardere le nostre carissime giovani di Azione Cattolica. Vogliamo darvene atto con paterna compiacenza ed esortarvi a conservare, ad accrescere, se possibile, questo vostro spirito di docile ubbidienza ai Pastori della Chiesa. Essi sanno bene che cosa possono chiedervi e conoscono i campi che non vogliono invadere. Ma quando una « direttiva » giunge, quando una risoluzione è presa, la Gioventù Femminile obbedisce senza discutere: generosamente, prontamente, perchè non vi è un giorno, non vi è un minuto da perdere in quest'ora che è di azione, di urgentissima azione.

Ecco, dilette figlie, quanto abbiamo voluto dirvi, mentre s'inaugura

la Domus Mariae; mentre tutta la Gioventù Femminile di Azione Cattolica entra quasi in un mistico Cenacolo, dove — « cum Maria matre Iesu » [2]: « con Maria madre di Gesù » — si raccoglie in preghiera. E anche Noi preghiamo, affinchè il soffio divino della grazia, come il « vento impetuoso » della Pentecoste,[3] riempia non solo la vostra Domus, la vostra casa, ma tutta la Chiesa. Noi preghiamo Gesù, perchè affretti il dì — che deve venire — in cui una nuova misteriosa effusione di Spirito Santo investirà tutti i soldati di Cristo e tutti li manderà fra le miserie della terra, portatori di salvezza. E saranno giorni migliori per la Chiesa; saranno — attraverso la Chiesa — giorni migliori per tutto il mondo.

II

SUMMUS PONTIFEX, AEGROTUS, IN PERVIGILIO NATIVITATIS D. N. IESU CHRISTI A. MCMLIV, HAEC VERBA EDIDIT, ORBI UNIVERSO BENEDICENS.

Con la semplicità dei fanciulli, cari a Gesù, Ci prepariamo ad accogliere nel Nostro cuore l'incanto del Natale, e a gustarne la pura letizia, confortati dall'invito dell'Apostolo: « Gaudete in Domino semper...: Dominus prope est ».[1]

